

2. SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA – Decreto del Segretario (Daneels), *Della rimozione o cessazione dall'ufficio di parroco* (Rev.do N. – Congregazione per il Clero) – Prot. N. 43915/10 CA [contenzioso amministrativo], 26 maggio 2010.*

DECRETUM

Exc.mus Episcopus X die 23 decembris 2009 Rev.do N., parochus unionis tredecim parochiarum in loco v.d. Y notificavit eius amotionem ab illo officio inde a die 3 ianuarii 2010.

Frustra emendatione decreti petita, Rev.dus N. per Rev.dum suum Advocatum-Procuratorem die 8 februarii 2010 adversus amotionem a parochiis recursum hierarchicum interposuit apud Congregationem pro Clericis, quae eum autem die 18 martii 2010 reiecit.

Litteris tandem diei 1 aprilis 2010 idem Rev.dus Advocatus ad H.S.T. provocavit.

Petitis ac obtentis actis a Congregatione pro Clericis,

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo examini praeliminari subiecta;

Praemisso quod Rev.dus N., iuxta eius Rev.dum Patronum, die 14 septembris 1986 ad sexennium parochiarum in loco v.d. Y exstantium nominatus est parochus, quodque in actis non habetur ulla nova nominatio ad munere parochi ibi fungendum, praeter decisionem Exc.mi Episcopi X mensis iunii 2008 ut ipse usque ad diem 31 augusti 2009 ibidem uti parochus manere posset;

Viso relate ad praescriptum can. 522 decreto Conferentiae Episcoporum diei 13 iunii 1984;

Perspecto quod parochus ad tempus determinatum nominatus elapso tempore statuto, iuxta iurisprudentiam H.S.T., modo tantum precario in illo officio permanet, adeo ut sufficiat notificatio ex parte Exc.mi Episcopi eum non amplius esse parochum ad eius cessationem ab officio efficiendam (cf. can. 186);

Considerato quod Rev.dus N saltem litteris die 23 decembris 2009 datis et die 29 eiusdem mensis receptis certior factus est ipsum a die 3 ianuarii 2010 non amplius esse parochum in loco v.d. Y;

Cum huiusmodi in casu non exstet lex, quae ius parochi in officio permanendi sancit (cf. art. 76, § 1, n. 3 H.S.T. *Legis propriae*);

Subordinate animadverso quod Rev.dus Recurrens litteris die 9 septembris 2009 ab Exc.mo Episcopo datis pro comperto

habuit eius intentionem paroecias in loco v.d. Y supprimendi easque paroeciae v.d. Z incorporandi et die 29 decembris eiusdem anni decretum ad hoc latum recepit atque in litteris diei 1 ianuarii 2010 revocationem vel emendationem huius decisionis ab eius Exc.mo Auctore haudquaquam petiit, quam ob rem hac de re, omissa remonstratione de qua in can. 1734, recursus hierarchicus ad Congregationem pro Clericis, si et quatenus habeatur, legitimus considerari nequit,

quodque, suppressa paroecia, eo ipso officium parochi in ea non amplius existit, atque ideo Congregatio recte decrevit recursum adversus amotionem ab officio parochi in casu carere obiecto;

Viso voto praeliminari Rev.di Promotoris Iustitiae Substituti;

Vi art. 76, § 1 H.S.T. *Legis propriae*,

decrevit:

Recursum in limine reiciendum esse et facto reici ob manifestum defectum praesuppositi.

Adversus hoc decretum datur recursus ad Congressum, intra peremptorium terminum decem dierum ab eodem recepto.

Quod notificetur ad omnes iuris effectus.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 26 maii 2010

✠ Franciscus DANEELS, o.praem.
Secretarius

Paulus MALECHA
Cancellariae Praepositus